

vestri eque studiosos cognoscatis. Quod vero ad supradictam comprehensionem attinet, tantummodo nunc restat ut vestris quoque litteris ad nos missis vos in dicta amicitia et fædere nobiscum comprehendi velle declaratis; et quod rectius id facere queatis, capitulum quo vos una cum aliis nostris amicis includimus et nominamus, fideliter exscriptum in his litteris ad vos mittimus. Eximium autem nostrum erga vos animum, tam in hac re quam in aliis omnibus, ex vestris apud nos oratoribus plenius vos intellecturos et si usus acciderit perspecturos, non dubitamus. Et feliciter valete.

Ex palatio nostro Genui, die XXIII Junii 1515.

ANDREAS AMMONIUS.

*A tergo*: Illustrissimo et excellentissimo principi domino Leonardo Lauredano Dei gratia Duci Venetiarum etc., amico nostro carissimo.

*Capitulum excerptum ex tractatu pacis, amicitiae et fæderis inter serenissimos dominos Henricum octavum anglorum etc. ac Franciscum etc. gallorum reges, die V mensis Aprilis, anno Domini 1515, in civitate Londini solemniter concluso, in quo quidem capitulo dicti domini regis Henrici amici nominantur et comprehenduntur.*

Item, quod in presenti tractatu pacis et amicitiae, comprehenduntur amici, confederati et aligati utriusque partis subsequenter nominati, videlicet: ex parte regis Angliae, Sanctissimus Dominus Noster Leo Decimus pontifex maximus, Ecclesia romana et Sancta Sedes Apostolica, Bononia ac omnia oppida, civitates castra, villæ et territoria ad patrimonium Sancti Petri et Sanctæ Romanæ Ecclesiae spectantes et pertinentes; Sacrum imperium et illustrissimus princeps Carolus princeps Castellæ archidux Austriae etc. ejusque heredes et successores, nec non illustrissima domina Margarita archiducisa Austriae etc., ac omnia et singula ejus principis Castellæ dominia, ducatus, comitatus, civitates et oppida, villæ, territoria et alia quæcumque sub obedientia dicti principis existentia, ac omnes et singuli ejus subditi, incolæ et habitatores quicunque, salvis juribus superioritatis jurium judicio regis Daciæ; nec non Clevensis et Juiliacensis et Venetorum duces, Dominia Venetorum et florentinorum; communitas et societas anzæ teutonicae; Antonius de Legaie et helvetiorum lige suetensis et reliqua.

*Ratificatio serenissimi regis Franciæ pacis 265 cum illustrissimo Dominio nostro et serenissimo Rege defuncto.*

Franciscus Dei gratia francorum rex, Mediolani dux et Januae dominus, universis et singulis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod cum inter celebris memoria Ludovicum eadem Dei gratia francorum Regem sacerorum nostrum nuper defunctum et illustrem Ducem et Dominum Venetorum fuerit pax, amicitia, fædus et perpetua aliancia inita, pro eis eorumque successoribus, modo et forma contentis in tractatu dictæ pacis Blesis die XXIII mensis Marcii, anno Domini millesimo quingentesimo decimo tertio celebratae inter deputatos dicti defuncti regis Ludovici et oratores, procuratores et nuntios speciales dictorum Venetorum et cum Dei clementia in regnum successerimus, sententiæque nostræ sit in ipsa pace, amicitia, fædere et aliancia sincere perseverare, congruum arbitrii sumus his litteris nostris ad majorem et abundatiorem animi nostri expressionem declarare, Nos pacem, amicitiam, fædus et perpetuam aliantiam predicta omniaque et singula in capitulis super ea celebratis contenta approbare et rata habere, sive libere et ex certa nostra scientia animoque deliberato, omnibus melioribus modo, via, jure et forma quibus melius, validius et efficacius de jure possumus et debemus, cum interventu omnium et singulorum solemnitatum, quæ in huiusmodi actibus requiruntur, firmamus, approbamus et ratificamus, rata et grata firmaque habere volumus et intendimus, ac sincere observare et observari facere perpetuis temporibus in verbo regio et sub honore nostro pollicemur. In cuius rei testimonium, his præsentibus manu nostra fecimus apponi sigillum.

Data Ambosiæ, die XXVII mensis Junii, anno Domini 1515 et regni nostri primo.

FRANCOIS.

*per regem ROBERTET.*

*Dil mese di Avosto 1515.*

264

*A dì primo.* Introno do consieri di là da Canal: sier Marco da Molin e sier Francesco Bragadin; il terzò nou intrò, che fu sier Bortolamio Contarini, ch'è capitano e provedador a Crema, al qual, per parte presa, li è stà risalvà la conseiararia fin vengì.